Nobilissimo, doctissimo viro
Constantino Hugenio Equiti
Zuilichemi Domino, Principi Auriaco a consiliis et secretis
S. P.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Vir Nobilissime

Extorsit hanc in literulis vocem et proximae cognationis intuitu et, ob alia, reverentia, nactus in me imperii fiduciam. Ille seu visis apud amicum, seu famâ interprete cognitis, quae fasciculus, sui pretiô illustris, momentorum desultoriorum titulo inscripta gerit, poëmatis, ex officinis librariis exemplar redemptum voluit. Cum renuntiarem nondum esse hanc bibliopolii mercem, quaeque vulgata putaret, authoris privatum usque hactenus domino, beneficium esse, compulit me ad verecundi ambitus operam, ebiciendi amoliendi machinis. Itaque, vir Nobilissime, vides quo redactus sim; unde pedem referre salvo pudore si tua non sinat humanitas, vestigia absorbet impudentia lutum. Exemplar enim alieno nomine, qui meo pridem obtinui, petere cogor; eventu indubio, si tam dare in promptu, distribuendique per amicorum seriem libellis facultas est, quam certus tibi in literas, aliisque cultissimam tuae nobilitatem suspicientibus, in tua affectus est. Vale, vir Nobilissime, et potiundi spe si excidere me fortuna velit, amore ne pateris, intercedo, cum ex importune aliquoties efflagitato officio servilem operam fecerit Penatium tuorum reverentia, religiose mihi semper habita. Hagae-Comitis ex Museo. 23 decemb. CIↃ IↃC XLIV.

Tuae Nobilitati deditissimus
Isaacus Gruterus

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Gruterus) 8
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3858

Nobilissimo, doctissimo viro
Constantino Hugenio Equiti,
Zulichemi Domino, Principi Au-
riaco a consiliis et secretis
etc.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Gruterus) 8
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3858